



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando lectu[m] somni causa ingredimur. Exercitium 61

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



EXERCIT. SPIRIT.

*Petitio.*

**P**Recabimur Deum, vt veteri Adamo ac moribus eius non spoliet, & nouo ac virtutibus eius non vestiatur: vt vestiti vestibus vnigeniti filij eius nos in gregum suorum numero agnoscat.

*Oblatio*

**O**fferemus Deo Patri, vnigenitum unicum suum, nudatum & cruci pro nobis affixum, vt per nuditatem ipsius vestiatur nos indumento gratiae suae. Offeremus etiam ei nosmetipsos paratos non tantum nudari sed etiam crucifigi & mori pro honore & gloria ipsius, ad imitationem vnigeniti Filij eius.

*Quando lectum somni capiendi causa ingredimur*

Exercit. 61.

*Psalm. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo.*



*Iob 17. In tenebris stravi lectulum meum.  
Isai. 28. Coangustatum est stratum, ita ut  
alter decidat.*

*Psal. 131. Si ascendero in lectum strati  
mei: Si dederò somnum oculis meis, &  
palpebris meis dormitationem, & requi-  
em temporibus meis donec inueniam lo-  
cum Domino, tabernaculum Deo Iacob.*

*Consideratio.*

**C**Onsiderabimus; quam tristis &  
durus lectus fuerit Crux, in qua  
extenderunt & conclauarunt Chri-  
stum, cum corpus eius doloribus &  
vulneribus plenum esset. Confide-  
rabimus præterea, nos aliquando col-  
locandos esse in sepulchrum, in quo  
dormiemus somnum mortis, vsque  
ad diem generalis resurrectionis: i-  
deoque eum lectum ad somnum ca-  
piendum discooperimus expende-  
mus, quomodo sepulchrum nobis a-  
perturi: quando eundem ingredi-  
mur, quomodo in eo nos collocatu-  
ri: quando denique lecti stragulis nos  
tegimus, quomodo terra nos obrutu-  
ri sint.

*GRA.*



*Gratiarum actio.*

**G**Ratias reddemus Deo: quod nobis lectum in quo dormiremus, & requiesceremus donauerit, cum ipse in hac vita, non habuerit, vbi caput suum reclinaret.

*Confusio.*

**E**Rubescemus, considerando nos indignos esse omnibus hisce commodis, cum propter scelera nostra lectum illum igneum, peccatoribus in Inferno præparatum, commeruerimus.

*Petitio.*

**R**Ogabimus Deum, vt ex anima nostra lectum mollissimum constituat, in quo ipse cubet: concedat etiam vt anima nostra in sinu ipsius requiescat: bonam denique mortem nobis largiatur, vt ex illis simus qui moriuntur in Domino.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo Patri, Christum in durissimo crucis ligno distentum, in quo mortis somnum cœpit,  
vt nos



vt nos à peccatorum somno excita-  
ret, vitamque immortalem nobis  
largiretur.

*Interea dum obdormimus.*

Exercit. 62. *non dormi*

Leuit. 26. *Si in preceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea dormietis, & non eris qui ex-terreat.*

Cantic. 5. *Ego dormio & cor meum vigilat.*

1. Theff. 5. *Non sumus noctis, neque tenebrarum filij; igitur non dormiamus, sicut & ceteri: sed vigilemus & sobrij simus.*

Iob 7. *Si dormiero, dico. Quando consurgam?*

Psal. 4. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus. terribilem illam horam quando mortem, cereum manutinentes lecto que decumbentes expectabimus. Considerabimus preterea: quam dura fuerit Christo illa nox quando in passione, milites nullum ei tota nocte requiem concesserunt.